PLATO. ARISTOTELES

Entstehungsort unbestimmt (Tirol?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 162r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

itaque tragedus ludus est siquidem imitator est idem tercius sit
a rege veritateque semotus ceteris imitatores Gla Fateor
So Huic ergo imitatori confessi sumus verum de pictore michi
dicito utrum ne illud quod est in natura quodlibet aut artificium
potius opera conatur imitari Gla Artificum inquit opera So An
qualia ipsa sunt an qualia videantur insuper hoc iterum quo
diffinias Gla Quo id ais So Sic inquam lectus idem sive
ex latere sive ex adverso aut quocumque intueare numquid
ipse a se ipso differt aut differt quidem nichil apparet
quippe alterutrum et reliqua vicissim Gla Sic inquit di
ffert vero minime So Hoc igitur ipse considera ad quid picto
ria circa quodlibet inventa sit utrum ad ens quemadmodum
se habeat illud imitandum an ad apparens potius fanthasmatis
vel veritatis existens imitacio Gla phantasmatis inquit
So Plurimum itaque a veritate distat imitacio et id circo
cuncta videtur operari quoniam modicum quid cuiuslibet ac idolum
attingit solum ut puta cerdone pictor effinget tum fa
brum ac reliquos opifices cum omnium tamen istarum artium
sit ignarus At vero si egregius fuit pictor ac fabrum effinges
procul ostendat facilime pueros necnon minus simplices eludet
homines ut ab illis verus faber esse credatur Gla Quomodo non
So Ceterum amice hec quidem de omnibus considerare equum
est si quis enim nobis dicat hominem se convenisse omnes artes
eruditum et que unusquisque noscere queat optime scientem
sic ut illo nichil erudicius possit inveniri huic nempe
sic puto respondendum foret quod insipiens is sit homo cum
enim histrioni cuidam aut mimo obvius effectus sit ab eo
deceptus est ut omni illi sapiens apparuit cum scienciam et in
scitiam denique illius imitatoris nequaquam potuit agnoscere
Gla Verissime ais Capitulum tercium quod omnes tragici
imitatores sint ludi imprimis quod homerus qui de hiis que
tractare nixus est nulla prorsus huius scienciam So Gla